

neque phantasia, cum nihil in eis sit immateriale, et impartibile. Neque opinatrix, quæ non nisi effectus novit, causas non novit. Neque dianoea seu ratio, divisim enim per terminos causarum, et effectuum res cognoscit. Neque totum simul percipit, neque in instanti, neque simpliciter, neque eodem modo semper. Quæ conditiones, tametsi Mentis sint, attamen neque Mens primarius est cognitionis fons, quia multitudine intellectionum utitur, et varietate intelligibilium ornatur. Unitas ergo ipsius Mentis, per vitam, et essentiam suam, ab Idea cognitionis pendet, et cognitionis prima unitate. Quæ ab uno primo venit, et fons omnis cognitionis est effecta, quæ per cognitionis essentiam primam, et eius primam vitam, in unitatem mentis defluens, et influens essentiam intellectualem, Menti est largita. A qua deinceps per inferiora varia sunt cognitionum species effusæ. Quod vero de duabus hisce rerum speciebus, natura, et notitia, exemplo declaravimus, id de speciebus reliquis omnibus, quæ in universitate sunt, intelligi volumus. In quo graduum, et causarum, et effectuum descensu, dicimus, ea quæ effectus sunt, participare. Causas vero participati. Imparticipatum denique esse, simpliciter, id quod ab omnibus est segregatum, et omnibus supereminet, unum, Deum.

*FINIS DUODECIMI LIBRI.*